Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

hoc debetur. Inspecto nummo dominus dicit: reddite cesari que cesaris sunt,
et deo que dei sunt. Imago sua reddatur cesari: imago sua reddatur deo. Sed qui
meminit non solum seruum se esse dei, sed et filium ancille dei, uidet ubi reddat uo-
ta sua, conformatus Christo per calicem salutaris. In atriis inquit domus domini.
Que domus dei est, hec ancilla dei est. Et que domus dei, nisi omnis populus eius?
Ideo sequitur: In conspectu omnis populi eius. Et apertius iam nominat ipsam ma-
trem. Quid est enim aliud populus eius, nisi quod sequitur: in medio tui Hierusalem? Tunc
enim redditur quod gratum sit, si de pace atque in pace reddatur. Qui autem filii
ancille huius non sunt, bellum potius quam pacem amauerunt. Neque quis autem se ex-
istimet atria domus domini et omnem populum eius Iudeos significari, quia ita con-
clusit iste psalmus ut diceret: in medio tui Hierusalem, cuius nomine carna-
les israhelite gloriantur. Audite sequentem psalmum qui duobus uersiculis
continetur. Explicit de psalmo .c.xv. Incipit de .c.xvi.
LAUDATE DOMINUM OMNES gentes,
laudate eum omnes populi. Hec sunt atria domus domini: ille omnis populus
eius. Hec uerba Hierusalem audiant magis illi qui huius ciuitatis fi-
lii esse noluerunt, cum se ab omnium gentium communione preciderunt. Quoniam
confirmata est super nos misericordia eius, et ueritas domini manet in eternum. Hec
sunt duo illa misericordia et ueritas, que in centesimo tertio decimo psalmo me-
morie commendanda commonui. Confirmata est autem super nos misericordia domini,
cum eius nomini per quod liberati sumus, inimicarum gentium rabida ora cesserunt.
Et ueritas domini manet in eternum, siue in eis que promisit iu-
stis, siue in eis que minatus est impiis. Explicit de psalmo .c.
Confitemini. AUDIAMUS AD- .xvi. Incipit de .c.xvii.
MONENTEM NOS atque hortantem spiritum
sanctum, ut sacrificium confessionis offeramus deo. Confessio
autem uel laudis eius est, uel peccatorum nostrorum. Et illa quidem
confessio qua peccata nostra deo confitemur, omnibus no-
ta est, ita ut hanc solam dici confessionem in scripturis sanctis minus erudita estimet
multitudo. Nam ubi hoc uerbum lectoris ore sonuerit, continuo strepitus
prius pectora tundentium sequitur. Sed debent aduertere quomodo dictum sit in alio
psalmo: quo ingrediebar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum dei,
in uoce exultationis et confessionis soni festiuitatem celebrantis. Hic enim
certe manifestum est uocem confessionis et sonum non ad merorem penitentie,
sed ad leticiam festiuitatis celeberrime pertinere. Aut si de tam manifesto te-
stimonio quisquam adhuc dubitat, quid dicturus est ad illud quod in ecclesiastico